

habi auto le spexe dil re, ben che mai salata ni frute non mandava, in 29 mexi ch' è stato, di qual mexi 9 stete con sier Vctor Soranzo, ha spexo da ducati 2900, zoè in li 9 mexi ducati 2500, poi in cavalari ducati 1000 et vinti, in salarij ducati 600, in miedegi ducati 150, et in altre spexe extraordinarie, *in omnibus*, ducati 400, jurando aver speso dil sua ducati 150 in cortesie, et non li mete a conto per non poter. Poi ringratio di esser stà electo podestà et capetanio in Cao d' Istria, ma si scusò, dicendo credeva non poter andar, à assa' fioli, in questo tempo le cosse sue andadi mal etc.; et dimandò perdono si avesse manchado.

Et venuto zoso el principe lo laudò *de more*.

Et è da saper, presentò do letere, qual in collegio fono lete et è queste :

387

*Copia de una letera dil re di Hongaria
a la Signoria nostra.*

Wladislaus, Dei gratia rex Hungariae et Bohemiae etc., illustrissimo principi, domino Leonardo Lauredano, duci Venetiarum, amico et confederato nostro carissimo, salutem et prosperorum successuum incrementa.

Quamquam, et ex litteris, quae hinc toto hoc triennio ad illustrissimam dominationem vestram frequentes venere, et ex ipsarum actarum rerum progressionе successuque, fidem, industriam et diligentiam magnifici Sebastiani Justiniani, equitis aurati, oratoris, credimus illustrissimae dominationi vestrae jam pridem esse notissimam, tamen cum jussu et imperio illustrissimae dominationis vestrae et illius inclyti senatus reversurus sit, prætermittendum nulla ratione putavimus, quin nos quoque perfunctorum laborum suorum summæque modestiae et integratatis, quibus se per hos totos annos honorificentissime apud nos gessit, debitum testimonium vel his nostris præbeamus. Sic etenim ac tanto studio, vigilantia et dexteritate, per totum hoc tempus, quo hic apud majestatem nostram legationis officio functus est, christianæ et vestrae reipublicæ commodo, unioni ac in turcas expeditioni, tunc et nunc huic private nostræ confederationi inservire, et res ipsas tractare studuit, ut a prudente et optimo oratore nihil amplius erat expetendum. Ex cuius prudentia et perfuncto munere non medioceris etiam laus et gloria, omnium judicio, in illustrissimam dominationem vestram et sacrosanctum illum senatum, qui hunc tam et invicti pene ingenii virum, ad huius tam salutiferæ legationis munus obeundum delega-

rit, videtur redundare. Et licet carissima patria benemeritum civem opportune revocaverit, cuius nos, præsentia et consuetudine delectati, diutius etiam frui summopere cupiebamus, tamen, cum non liceat nobis tam honesto tamque pio desiderio refragari, post tot vigilias et curas illi merito respirandum putantes, nos quoque eumdem cum magna nostra benivolentia remisimus, itaque ipsum toto animi affectu illustrissimæ dominationi vestrae commendamus. Vir est profecto omni laude, vir quolibet honore, vir quavis beneficentia, et munere dignissimus. Qui, si nostra gratia et commendatione, tum suadente virtute, ab illustrissima dominatione vestra et universo illo senatu ornatus fuerit, rem nobilissimo duce et gratissimo senatu dignam faciet, et magnum profecto ac præclarum invitamentum cæteris ad similia pro patria obeunda præstabat. Nobis vero id adeo 387^{mo} gratum accidet quantum gratum esse solet, quod dominationi vestrae illustrissimæ et illi inclyto senatu ad sempiternam laudem et gloriam fore existimatur. Eamdem dominationem vestram illustrissimam bene ac feliciter valere semper optamus.

Data Budæ, 24 februarii, anno domini 1503, regnorum nostrorum Hungariae etc. anno XIII.^{mo}, Bohemiae vero XXXIII.^{mo}.

Subscriptio: Commissio propriæ regiae majestatis G. Secretarius.

A tergo: Illustrissimo principi, domino Leonardo Lauredano, duci Venetiarum, amico et confederato nostro carissimo.

Copia di la letera dil cardinal ystrigonense.

Illustrissime princeps et domine, domine mi collendissime, humillimæ commendationes etc.

Non prætermitterem crebrius scribere illustrissimæ dominationi vestrae, nisi ei firmiter persuasum existimarem, eo me animo affici et deberi huic illustrissimo senatu vestro, quo plurimum debet et afficitur, qui pro maximis benefitiis acceptis, est ad singula pro virili sua paratissimus. Plene enim novit et intellexit dominus Sebastianus Justinianus, eques et orator integerrimus, quam libentissime operam meam exhibuerim, quoties pro voto illustrissimi Dominii aliquid commode agere potui, tum in fœdere percutiendo, ac expeditione obeunda, tum in pace et pacis conditionibus conficiendis. In quibus omnibus, quam prudenter ac integre se gesserit idem dominus orator, non possem nisi longis litteris